



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. De quo gratiæ adjutorio controversia fuerit Catholicos inter &
Pelagianos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Dixi autem, ad summum: quia rectè dici potest S. Augustinum, cum ait: *Tolle facilius, &c.* non aliud velle, quam propositionem hanc: *Ut quod per liberum facere iubetur homines arbitrium, possint implere per gratiam*, catholicam esse in sensu obvio, quidquid tandem nomine gratiæ intelligat Pelagius, quod hoc loco non expendit Augustinus: neque enim errores omnes simul confutari possunt; atque hic refutare intendit S. Doctor unum hunc ex Pelagii erroribus, nempe quòd gratia non requiratur, nisi ad operandum facilius.

Obj. 3. Estò quòd Pelagius & Celestius nunquam admiserint gratiam voluntatis & actionis: at saltem admiserunt Julianus, & alii posteriores Pelagiani, Neg. Prob. S. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio c. 14. asserit Pelagianos fuisse tandem convictos, neque scientiam divinæ legis, neque naturam, neque peccatorum remissionem esse illam gratiam, quæ per Jesum Christum datur. Et ferm. 13. de verbis Apostoli, gratias agit Deo, quòd Pelagiani coarctati sint tandem aliquando gratiam confiteri.

Resp. S. Augustinus his locis tam loqui de Pelagio & Celestio, quam de Juliano & aliis Pelagianis, & de illis omnibus solum affirmare, quòd tandem, præter liberum arbitrium, remissionem peccatorum, & gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi, aliam internam & supernaturalem gratiam confessi sint, quam dicimus fuisse gratiam intellectus, seu internam & supernaturalem illustrationem, qua Deus, ut aiebat Pelagius, revelando sapientiam in desiderium Dei stupentem suscitavit voluntatem, & suadet nobis omne quod bonum est; atque ita in nobis operatur velle quod bonum est, velle quod sanctum est.

Audiamus S. Doctorem: *Cum fuerint*, inquit, *convicti non defensores, sed inflatores & precipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur ... ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Horum autem verborum hic manifestè sensus est: Cum convicti fuerint Pelagiani, præter scientiam divinæ legis, extrinsecis comparatam, præter naturam, & remissionem peccatorum, confitentem esse interiorem gratiam; ad hoc se convertunt, ut conentur ostendere eam secundum merita nostra dari. Non ergo aliud hoc loco dicit S. Doctor, quam Pelagianos argumentorum pondere aliquando coactos esse, ad confitentem interiorem gratiam, & confessos esse cum hac corruptela; quòd assererent eam dari secundum merita nostra; & hoc etiam nos post S. Doctorem dicimus. Cum autem pro præsentis statui duplex sit gratia interior, una scilicet quæ se tenet ex parte intellectus, nempe illustratio, & altera quæ se tenet ex parte voluntatis, nempe inspiratio; ex ejusdem S. Doctoris doctrina addimus, Pelagianos eatenus interiorem gratiam aliquando confessos esse, quatenus se tenet ex parte intellectus; adeoque solam illustrationem aliquando, nunquam verò inspirationem confessos esse. Quòd si tamen tandem aliquando ipsam quoque inspirationem confessi esse dici possunt, certè in hac confessione inconstantes prorsus fuere, & ad suum de viribus arbitrii errorem redire.

Certè si Pelagiani tunc, cum S. Augustinus librum hunc de grat. & lib. arbitrio scribebat, Catholicorum argumentis convicti, interiorem non solum illustrationis, sed etiam inspirationis gratiam confitebantur, quomodo ejusdem libri c. 11. verè sic potuit loqui: *Quid est ergo, quòd vanissimi homines, & perverissimi Pelagiani legem dicunt esse gratiam, qua juvatur ad non peccandum? Quid necesse fuit in eodem libro tot capitulis ostendere gratiam illam, quæ per Jesum Christum nobis datur, quæ facit ut lex impleatur, ut*

Simonnet Theol. Tom. II.

natura liberetur, ne peccatum dominetur, neque in natura, seu libertate arbitrii, neque in lege & doctrina, neque in remissione peccatorum consistere? Non ergo tunc à suo circa existentiam & essentiam gratiæ recesserant errore Pelagiani, nisi quòd interiorem illuminationis gratiam, cum duplici tamen corruptela superius exposita admitterent, repudiata pertinaciter inspirationis gratia.

Dices. Julianus in epistola, quam miserat Romanis, sic loquebatur: *Hominem Dei opus defendimus ... Et in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, in malo vero diaboli suggestionibus incitari.* Hæc autem Juliani verba sic suggillat S. Augustinus lib. 1. ad Bonifacium c. 19. *Cur non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita.* Quibus verbis S. Doctor Julianum reprehendens tantum, quòd gratiam, qua in omni opere bono adjuvatur à Deo, videatur pedissequam voluntatis facere, manifestè supponit eum rectè sentire de natura ipsius gratiæ, adeoque nomine gratiæ, qua adjuvatur à Deo in omni opere bono, non solum illustrationem internam, sed etiam internam inspirationem intelligere. Resp. Hoc esse falsum. Itaque S. Augustinus non supponit hic Julianum rectè sentire de natura gratiæ, sed solum non inquiri, quid nomine gratiæ intelligat, & accepto nomine gratiæ in sensu Catholicis obvio, reprehendit verba Juliani, quibus videtur insinuarè, quòd voluntas se sola incipiat in opere salutari, & incipiendo, gratiam, qua juvetur ad perficiendum opus, promereatur.

Porro per gratiam illam, qua hominem in omni opere bono adjuvari dicebat Julianus in præfata epistola, non gratiam inspirationis, qua voluntas immediate excitatur & corroboratur, sed ad summum gratiam internæ & supernaturalis illuminationis, voluntatem adjuvantem, non vires ad agendum subministrando, sed quid agendum esset ostendendo, intelligebat. Quod demonstratur ex libro de hæres. quem paulò ante obitum, & operum suorum fere postremum, post absolutos Retractationum libros scripsit S. Augustinus, ut ipsemet testatur in epistola huic libro præfixa. In eo autem num. 88. clarè distinguit gratiam illustrationis à gratia inspirationis; & à Pelagianis primam admitti, secundam verò rejici, expressè affirmat: *Divinitus, inquit, dari nobis scientiam continentur, qua ignorantia pellitur (en gratia illustrationis); charitatem autem dari negant, qua pie vivitur (en gratia inspirationis) ut scilicet cum sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflat, edificat.*

ARTICULUS III.

De quo gratia adiutorio controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos.

§. I.

Exponitur doctrina Jansenii circa præsentem controversiam.

EX sententia Pelagii tria distinguunt in homine, in ordine ad opera salutaria, possibilitatem scilicet, voluntatem seu actum volendi, & actionem, atque asserentis in operibus salutaribus solam possibilitatem adjuvari à Deo, non voluntatem, aut actionem, Jansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana occasionem sumit comminiscendi adiutorium duplex, unum videlicet, quod vocat adiutorium possibilitatis, & alterum, quod vocat adiutorium voluntatis & actionis.

Per adiutorium autem possibilitatis intelligit illud

A 4 omne

omne quod 1. complet voluntatem ad bene agendum: *Adjutorium*, inquit cap. 11. *possibilitatis*, sicut nomen ipsum praefert, non est aliud, quam *adjutorium*, quo possibiles, ut Pelagius loqui solet, hoc est, potentia adjuvatur & roboratur, ut vel omnino possit, vel facilius possit velle, vel agere. Datur enim ut sit quoddam supplementum potentiae non satis instructae in actu primo ad agendum. 2. Et ita complet voluntatem ad agendum, ut in ejus sensu composito voluntas retineat & habeat activam indifferentiam ad agendum vel non agendum, atque ita in ejus sensu composito possit agere vel non agere pro arbitrio, sic ut voluntas possit actionis negationem componere cum tali adjutorio, quantumvis ad agendum complente. Quidquid; inquit Jansenius cap. 19. ipsum posse voluntatis, seu posse velle, seu potestatem volendi, & consequenter agendi adjuvat, ita ut velle & agere nostrum sit, hoc est, quo ita velimus & agamus, ut nobis liberum & indifferens sit, non habere voluntatem & actionem, hoc ex mente Pelagii *adjutorium possibilitatis* dicitur, tamen istud *adjutorium* simul ad volendum & agendum pro nutu hominis sese cum illo determinantis aliquid conferat.

Per *adjutorium* verò voluntatis & actionis manifestè intelligit *adjutorium*, è diametro oppositum *adjutorio possibilitatis*, adeoque *adjutorium* nullam potentiae relinquens activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum pro arbitrio; vel, si vis, & fortasse ad mentem Jansenii adhuc exactius, *adjutorium* voluntatis & actionis est *adjutorium* repugnans potentiae, activè indifferenti ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum pro arbitrio; quia ex natura sua antecederet obligativum est ad alteram partem contradictionis; sed idcirco congruum, & ad volendum vel agendum necessarium potentiae, activa ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentia spoliata, adeoque non valentis amplius ad alteram partem contradictionis se ipsam pro arbitrio determinare, & sic indigentis *adjutorio*, ipsam ad volendum & agendum ita flectente, & applicante, ut re ipsa velit & agat: ita ut, quoties re ipsa vult & agit potentia, velit & agat, non quia sub *adjutorio* illo & dependenter ab illo se ipsa ad volendum & agendum determinat, sed quia ad volendum & agendum ab illo *adjutorio* sic flectitur & applicatur, ut non possit non esse volitio & actio in sensu composito talis flexionis & applicationis. Quod sanè nihil aliud est, quam potentiam, quoties vult & agit sub tali *adjutorio*, velle & agere, quia ad volendum & agendum, ab illo determinatur & necessatur.

Haereticum illud voluntatis & actionis *adjutorium* verbis, quantum potest, exornat & involvit Jansenius: *Adjutorium voluntatis & actionis*, inquit c. 11. est illud, quo ipsa voluntas, hoc est, volitio & actio ita juvantur seu promoventur, ut in actu secundo fiant. Nam Augustinus illud auxilium ita solet exprimere, ut dicat esse auxilium quo fit, ut velimus & agamus, non quasi tantum eo sine adhiberetur, ut voluntas & actio consequantur, sed quia per illud fit, ut consequantur. Ita videlicet ut ista particula (re ipsa) non significet finem tantum, sed effectum. Nam etiam *adjutorium possibilitatis* eo sine adhibetur ut velimus & agamus, sicut & ipsa possibilitas eo sine haberi data est.

Itaque, si Jansenio credimus, Pelagianos inter & Catholicos, quorum partes sustinebat Augustinus, controversia erat, non de admitendo *adjutorio gratiae*, quocum maneret libertas arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia, hoc enim libentissimè admittebant, & praeedicabant Pelagiani; sed de admitendo *adjutorio* repugnante libertati arbitrii, & activae indifferentiae voluntatis, voluntatemque, seclusa omni propria illius determinatione, ad volendum & faciendum antecederet & ineluctabiliter applicante, uno verbo, de admitendo *adjutorio* dominante & necessitante. Juxta Jansenium, prae-

cabat hoc *adjutorium* Augustinus, certus libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam per Adami peccatum interiisse: respuebant verò Pelagiani, propter libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam, quam mordicè tuebantur.

Doctrinam hanc haereticam ex professo tradit Jansenius cap. 17. ubi ait, luce meridiana clarius patere nunquam inter Pelagianos & Augustinum de tali *adjutorio* fuisse contentione, quod... ab humano penderet arbitrio, ut ad voluntatem actionemque actualiter concurreret, aut non concurreret, hoc est, de *adjutorio* ex natura sua repudiabili, adeoque compositibili cum libertate arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia. Quod *adjutorium* ubique data opera, quantum potest, verbis extenuate, & in invidiam vocare nititur.

Sed contra Jansenium ad quaestionem propositam respondemus, Pelagianos inter & Catholicos controversiam non fuisse de *adjutorio gratiae* necessitante, sed de interno & immediato *adjutorio* ex parte voluntatis, nempe de gratia inspirationis voluntatem immediatè afficientis, eamque praevenientis, excitantis, corroborantis, & adjuvantis ad volendum & agendum, sicut ad salutem oportet, salva libertate arbitrii in utramque partem, & activa voluntatis indifferentia.

§. II.

Probatur Responsio nostra ex Conciliis in causa Pelagianorum celebratis.

Pro omnibus unum sit Concilium Milevitanum cap. 4. ubi sic pronunciat: *Quisquis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Quibus verbis profectò damnat Synodus Pelagianorum errorem circa veram Christi gratiam.

Errabant igitur Pelagiani circa veram Christi gratiam, non asserendo ab ea relinqui in voluntate activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum pro arbitrio; sed docendo eam non adjuvare nos ad non peccandum, nisi ostendendo nobis, quid appetere, quid vitare debeamus. Errabant circa veram Christi gratiam, non quia constituebant eam in *adjutorio*, cui voluntas pro arbitrio consentire vel non consentire possit; sed quia eam ponebant in solo *adjutorio* nobis ostendente, quid appetere, quid vitare debeamus.

At inquis. Synodus postulat à Pelagianis, ut confiteantur gratiam, per quam nobis praestatur, ut, quod faciendum esse cognoverimus, diligamus, atque valeamus facere. Atqui talis gratia non potest esse, nisi *adjutorium voluntatis & actionis*. Ergo Synodus postulat à Pelagianis, ut confiteantur *adjutorium voluntatis & actionis*. Ergo postulat ab illis, ut confiteantur *adjutorium* antecederet & irresistibiliter flectens & applicans potentiam ad volendum & faciendum.

Resp. 1. Gratiam illam, per quam nobis praestatur, ut diligamus, atque valeamus facere, tam esse *adjutorium possibilitatis*, quam voluntatis & actionis, ut manifestè significat haec vox, *valeamus*. Resp. 2. neg. secundam conseq. Quasi verò omne *adjutorium* voluntatis & actionis sit *adjutorium* antecederet & irresistibiliter flectens & applicans potentiam ad volendum & agendum. Quasi verò *adjutorium*, ex natura sua repudiabile, non possit esse *adjutorium voluntatis & actionis*. Quasi verò Deus, qui omnisciens & omnipotens est, non possit per *adjutorium*, etiam ex natura sua cum negatione volitionis & actionis compossibile, adjuvare & promovere volitionem & actionem ita, ut re ipsa sint.

Itaque

Itaque gratia illa, cujus confessionem Synodus postulat à Pelagianis, & per quam nobis præstatur, ut diligamus atque valeamus facere, est gratia inspirationis, quæ in nobis præstat, ut diligamus facere, nos inclinando, delectando, gratiam nobis mandatorum observationem exhibendo; præstat ut valeamus facere, nobis ad faciendum vires subministrando, & vires nobis subministrat, contra rebellantem concupiscentiam nos corroborando. Est autem adiutorium possibilitatis, quatenus complet volendi & faciendi possibilitatem. Est adiutorium voluntatis & actionis, quatenus adjuvat voluntatem & actionem; & adjuvat voluntatem & actionem, quatenus potentia volens & agens, vult & agit dependenter ab ea, ut natura prius excitante, inclinante, delectante, & roborante per se ipsam immediatè, salva tamen libertate arbitrii in utramque partem, & activa indifferentia potentia: nam potentia volens & agens sub illa gratia, vult & agit ex propria determinatione, quamvis hæc determinatio non sit à sola potentia, sed à potentia & à gratia, tanquam à duabus causis, quarum una, nempe potentia, alteri, nempe gratia, subordinatur, & quarum proinde una, nempe potentia, causæ secundæ, altera verò, nempe gratia, causæ primæ rationem habet respectu determinationis.

§. III.

Probatur Responsio nostra auctoritate sancti Augustini.

S. Doctor lib. de grat. Chr. cap. 10. loquens de Pelagio, sic ait: *Istam (gratiam) aliquando fateatur, quia future glorie magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur: nec suadet solum omne quod bonum est, verum & persuadetur.* Quibus verbis clarè exprimitur controversia Augustinum inter & Pelagium de adiutorio gratiæ, cujus confessionem Augustinus, & cum Augustino Catholici alii postulabant à Pelagio & Pelagianis.

Igitur Augustinum inter & Pelagium non agebatur de gratia, antecederet ac irresistibiliter flectente & applicante potentiam ad volendum & agendum; non agebatur de gratia necessitante, sed de gratia, qua non solum promittitur futuræ gloriæ magnitudo, verum etiam creditur & speratur; qua non solum revelatur sapientia, &c. hoc est, de gratia, quæ non solum proponit nobis promissiones divinas, verum etiam vires nobis supplet ad credendum & sperandum ea, quæ nobis promisit Deus; qua non solum sive exteriori, sive etiam interiori revelatur nobis sapientia, verum etiam placet; qua non solum suadet nobis omne, quod bonum est, bonitatem ejus nobis clarè proponendo, verum etiam persuadetur, amorem ejus nobis inspirando.

Igitur Augustinum inter & Pelagium agebatur de gratia, qua non solum mens illuminatur, & voluntati bonum proponitur, sed etiam ipsa voluntas intimè & immediatè bono sibi proposito delectatur, atque ad illud amplectendum roboratur & adjuvatur, hoc est, de complexo ex interna gratia illustrationis, & interna gratia inspirationis. Primam gratiam tandem aliquando admittebat Pelagius; secundam verò pertinaciter respuebat; utramque eum confiteri volebat Augustinus, cui, utramque admittendo, planè satisfecisset Pelagius.

Nota obiter, quod omnino sufficit ad exsufflandum Janseii systema de adiutorio possibilitatis, & adiutorio voluntatis & actionis. S. Augustinus non postulabat à Pelagio, ut repudiato possibilitatis adiutorio, tanquam nobis in præsentis statu supervacaneo, solum voluntatis & actionis adiutorium, ejusque necessitatem agnosceret; sed ut cum adiutorio possibilitatis confiterentur quoque necessitatem adiutorii voluntatis & actionis. *Si confenserit*, inquit Augustinus, nobis, non solum possibilitatem in homine... sed etiam ipsam voluntatem & actionem... divinitus adjuvari, &c. Pondera hæc verba: *Si confenserit nobis;*

ex quibus manifestum est, Augustinum, & alios Catholicos cum Pelagio adiutorium possibilitatis admisisse, & ab illo dissensisse tantum in eo, quod etiam adiutorii voluntatis & actionis confiterentur necessitatem, quam ille renuebat agnoscere.

Ex his autem, supposita utriusque adiutorii notione, quam assert Janseius, sic argumentor. Augustinus, & cum eo alii Catholici, in homine pro statu præsentis agnoscebant possibilitatem. Ergo in homine pro statu præsentis agnoscebant libertatem arbitrii in utramque partem, & activam voluntatis indifferentiam, positis ponendis, ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum in rebus ad salutem pertinentibus. Item Augustinus, & cum eo alii Catholici, agnoscebant in homine pro statu præsentis adiutorium possibilitatis. Ergo agnoscebant in homine pro statu præsentis adiutorium ex natura sua repudiabile, & cum negatione voluntatis & actionis compossibile, quocum proinde salva & integra manet libertas arbitrii in utramque partem, & activa potentia indifferentia. Ergo non admittebant in homine etiam pro statu præsentis adiutorium voluntatis & actionis, quale fingit Janseius: nam tale adiutorium è diametro pugnat cum adiutorio possibilitatis, & repugnat statui, in quo homo libertatem habet arbitrii in utramque partem, & activam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentiam. Ergo vel nullum admittebant in homine etiam pro statu præsentis adiutorium voluntatis & actionis, quod est falsum; vel admittebant planè diversum ab eo, quod fingit Janseius.

§. IV.

Confirmatur Responsio nostra.

1. S. Augustinus eod. lib. de gr. Chr. c. 33. ad hæc, quæ refert, verba Pelagii: *Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio;* sic ait: *Ecce iterum querimus, quo auxilio nos indigere fateatur, & iterum invenimus ambiguum.* Augustinum vides sollicitum de auxilio illo, quo fateatur Pelagius nos semper indigere ad bonum liberi arbitrii usum. At, obsecro, quamobrem sollicitus est? Num veretur, ne Pelagius non intelligat auxilium dominans, determinans, irresistibiliter flectens & applicans? Num veretur, ne Pelagius intelligat auxilium de se repudiabile, & compossibile cum activa indifferentia, & libertate arbitrii in utramque partem? Minime verò: sed quia veretur, ne Pelagius verbis illis non aliam confiteri velit gratiam, quam legis & doctrinæ, modò scilicet forinsecus propositæ, modò intrinsecus opera Spiritus sancti revelatæ. *Potest*, inquit S. Doctor, *respondere, legem se dicere, doctrinamve Christianam, qua naturalis illa possibilitas adjuvatur.* Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: *Non enim dedit nobis Spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentia.* Veretur Augustinus, ne Pelagius non fateatur internum & immediatum liberi arbitrii adiutorium, quod potissimum consistit in supernaturali & indeliberato amore vel desiderio alicujus boni salutis, quem amorem in nobis sine nobis liberè cooperantibus operatur Deus modo ineffabili, quo amore voluntas nostra excitatur, inclinatur, delectatur, & confortatur, minime verò irresistibiliter flectitur ad bene volendum & agendum.

2. Concilia & Augustinus gratiam, cujus confessionem exigebant à Pelagio, nunquam opponunt interiori gratiæ adiutorio de se repudiabili, supponenti & relinquenti activam indifferentiam & arbitrii libertatem in utramque partem contradictionis, sed solum legi & doctrinæ, sive extrinsecus, sive intrinsecus propositæ. Merum igitur figmentum est, quod dicit Janseius, Pelagium à Catholicis reprehensum fuisse, quod internam ex parte voluntatis gratiam de se repudiabilem, cum negatione volitionis & actionis compossibilem, & activæ indifferentiæ consentaneam, admitteret, & respuerit dominantem, & irresistibiliter flecten-

fluentem atque applicantem ad actionem. Sed Pelagius à Catholicis solum reprehensus fuit, quod præter legem, doctrinam, exempla Christi, & internam mentis illustrationem, non confiteretur aliam gratiam, intimè & immediatè afficientem potentiam volendi, eamque intimè & immediatè adjuvantem ad liberè & ex propria determinatione volendum & agendum bonum salutare.

§. V.

Solvuntur objectiones aliquæ.

Obj. 1. Pelagius admittebat adiutorium possibilitatis, & respuebat adiutorium voluntatis & actionis. Sed per adiutorium possibilitatis intelligebat adiutorium illud, quod ita complet potentiam ad posse, vel saltem ad facilius posse, ut eam relinquat in indifferentia volendi vel non volendi, agendi vel non agendi: per adiutorium verò voluntatis & actionis intelligebat illud, quod ita voluntati dominatur, ut spoliat eam indifferentia illa, Ergo Pelagium inter & Augustinum contentio fuit de adiutorio dominante, & omnem tam activam, quam passivam voluntatis indifferentiam excludente, quod scilicet Augustinus admitti volebat, & admittere nolebat Pelagius.

R. neg. min. Nam, ut manifestum ex lib. de gr. Chr. c. 6. & 41. Pelagius per adiutorium, quo possibilitatem adjuvari dicebat, intelligebat gratiam legis & doctrinæ, sub qua comprehendebat exempla Christi, & internas illustrationes. Per adiutorium verò, quo insuper Catholicis dicebant voluntatem & actionem immediatè adjuvari, cum ipsis Catholicis intelligebat internam inspirationis gratiam, qua facultas volendi immediatè excitatur, & inclinatur ad volendum bonum, & roboratur ad illud agendum. Huius gratiæ necessitatem defendebant Catholici propter infirmitatem & aegritudinem ex peccato originali contractam, & propter quam negabant vires liberi arbitrii etiam cum habitibus supernaturalibus ad volendum & agendum, sicut oportet, bonum, quantumvis cognitum, sufficere, nisi ulterius intimè & immediatè adjuvaretur per actuale auxilium, ipsum excitans, inclinans, delectans, & contra renitentem concupiscentiam corroborans. Cujus auxilii necessitatem negabat Pelagius, negans peccatum originale, adeoque ex tali peccato contractam esse aliquam infirmitatem & aegritudinem in ordine ad bonum cognitum, sicut oportet, volendum & faciendum; existimans præterea arbitrium non fore liberum, si præter adiutorium ostendens nobis, quid appetere, quid vitare debeamus, indigeat etiam alio adiutorio, quo immediatè excitetur & confortetur; cum tale adiutorium non sit in nostra potestate.

Obj. 2. Adiutorium, de quo Augustinus inter & Pelagium erat controversia, est illud, quod operatur in nobis velle & perficere, ut dicitur Philip. c. 2. Sed adiutorium relinquens in voluntate indifferentiam activam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum, non operatur in nobis velle & perficere. Ergo, &c. *R. neg. min.* de adiutorio, quod ita relinquit indifferentiam activam in voluntate, ut eam immediatè ad volendum & agendum adjuvet, eam immediatè excitando, inclinando, & roborando: tale enim adiutorium, cum re ipsa volumus & perficimus, verè operatur in nobis velle & perficere, excitando, inclinando, vires subministrando, & his omnibus modis adjuvando ad volendum & perficiendum.

Dices 1. Si contingat voluntatem cum tali adiutorio velle & agere, velle & agere attribui debet soli voluntati, utpote se ipsam determinanti ad volendum & agendum. Ergo tunc adiutorium illud non operabitur velle & agere, sed sola voluntas. *R. neg. ant.* Nam tunc voluntas non se determinat ad volendum & agendum, nec vult & agit, nisi dependenter ab illo adiutorio, ut immediatè adjuvante, & natura prius influente, excitando, inclinando & corroborando. Unde tunc determinatio voluntatis

ad volendum & agendum, ipsumque velle & agere tam, imò magis attribui debet adiutorio, quam voluntati.

Dices 2. Voluntas cum tali adiutorio volens & agens, sibi ipsa daret velle & agere, non verò ab illo adiutorio acciperet. Ergo velle & agere attribui deberet soli voluntati. *R. neg. secundam partem ant.* Itaque voluntas cum tali adiutorio volens & agens, sibi dat velle & agere, simulque velle & agere accipit ab illo adiutorio. Sibi dat velle & agere, quia vult & agit ex propria determinatione, sive, quod idem est, quia vult & agit sine antecedenti & irreflexibili ad volendum & agendum applicatione. Sed simul illud velle & agere, quod sibi dat, ab adiutorio illo accipit, quatenus ex propria determinatione vult & agit dependenter ab eo, ut immediatè excitante, inclinante, & vires subministrante, atque ita multis modis immediatè adjuvante ad volendum & agendum ex propria determinatione.

Dices 3. Duabus causis ad eundem effectum concurrentibus, effectus tribui debet soli causæ determinanti: nam v. g. habitus naturales concurrunt ad operationes voluntatis, & tamen operationes illæ non attribuuntur habitibus naturalibus, sed voluntati utenti, prout lubet, habitibus illis. Sed voluntas volens & agens cum adiutorio, relincente activam indifferentiam, ejusque exercitium liberum & expeditum, erit causa determinans sui ipsius, & adiutorii illius, quocumque vult & aget. Ergo tunc velle & agere soli voluntati attribuendum erit.

R. 1. neg. maj. Supposito enim, quòd duæ causæ ad unum & eundem effectum verè concurrant, effectus utrique causæ attribui debet; etiam dato, quòd una se ipsam & aliam determinet ad causandum effectum. Tam enim repugnat existentiam effectus non attribui causæ, danti esse effectui, quam repugnat aliquid simul esse & non esse causam alicujus effectus, sive, quod idem est, quam repugnat aliquid simul esse & non esse effectum alicujus causæ. Et verò, effectum verè attribui posse alicui causæ, quid aliud est, quam verè dici, effectum accipere, aut accepisse esse à tali causa? quàm verè dici, talem causam dare, aut dedisse esse effectui? Hinc operationes naturales voluntatis non solum voluntati, habitibus naturalibus utenti pro arbitrio, sed etiam ipsis habitibus naturalibus attribui possunt & debent. Similiter habitibus supernaturalibus attribui possunt & debent operationes supernaturales voluntatis; quamvis habitus illi voluntatem non prædeterminent, sive necessitent ad operandum, sed eis voluntas pro arbitrio utatur, vel non utatur. Et verò quis negabit in homine iusto actum, quo Deum propter se diligit, etiam charitati habituali, ad eum cum voluntate cooperanti, attribui posse & debere?

Denique actualis gratia, data Angelis viatoribus, relinquebat illis expeditam arbitrii libertatem in utramque partem, & activam indifferentiam ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum, adeoque non erat causa determinans; & tamen quis, nisi Pelagianus, negaverit bene velle & agere in Angelis viatoribus, non soli voluntati angelicæ, sed etiam actuali gratiæ adiutorio attribui potuisse & debuisse? Certè si bene velle & agere in Angelis viatoribus soli voluntati angelicæ attribui potuit & debuit, Angeli viatores, bonum volentes & operantes, in se potuerunt, non in Domino debuerunt gloriarì: quod nemo, nisi Pelagianus, dixerit.

Porro si bene velle & agere in Angelis viatoribus sibi vindicabat gratia sanitatis, eis data; quamvis non esset causa determinans, nec voluntatem angelicam, fortem & robustam adjuvaret, nisi proponendo intellectui bonum faciendum, & malum vitandum, atque ita ad bene velle & agere non concurreret, nisi remotè & moraliter per modum suadentis: quandrò magis gratia medicinalis, infirmam hominis lapsi voluntatem adjuvans non solum mediatè & moraliter, mentem illuminando, sed etiam immediatè & physice, ipsam intimè afficiendo, tangendo, excitando,

rando, inclinando, & roborando, bene velle & agere in homine lapso sibi vindicare potest; licet non sit causa determinans;

R. 2. neg. min. Nam se ipsam quidem ad volendum & agendum voluntas determinat sub adiutorio, relinquente activam indifferentiam; alioqui, cum non sit aliunde determinata, nec velle, nec ageret: at non determinat ipsam adiutorium: adiutorium enim, etiam relinquens activam indifferentiam, non eget determinatione: nam est quidem repudiabile; alioqui non relinqueret indifferentiam, quam tamen supponitur relinquere: at non est indeterminatum & indifferens ex se, ut sit vel non sit actus salutaris, ad quem datur, ut credi velle Jansenius; sed est ex se causa necessaria, & determinata ad unum nempe ad actus salutaris productionem; ita tamen ut sit frustrabilis à voluntate, quam non flebit & applicat irresistibiliter ad illam actus salutaris productionem, ad quam ex se determinata est.

Quando igitur voluntas vult & agit sub tali adiutorio, se ipsa determinat; nam nec velle nec ageret cum tali adiutorio, nisi se ipsa ad volendum & agendum determinaret; at non determinat ipsam adiutorium, sed obsequitur ejus determinationi, seu vult & agit secundum ejus determinationem, & insuper se ipsa determinat dependenter ab illo ipsam intimè & immediatè excitante, inclinante, & corroborante, adeoque in ipsam intimè & immediatè agente, ut se ipsa determinet. Quare, cum adiutorium illud intimè & immediatè adjuvet determinationem voluntatis, si voluntati tribuitur volitio & actio, quia se ipsa ad volendum & agendum determinat, tam imò magis volitio & actio tribui possunt & debent adiutorio, quia veram & physicam exercet causalitatem in voluntatis determinationem, quæ non est à voluntate, nisi ut causa inferioris ordinis, & subalternata, & est ab adiutorio ut causa superioris ordinis & subalternante.

Obj. 3. S. Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur gratiam, qua non solum promittitur magnitudo præmiorum, sed etiam creditur & speratur; qua non solum revelatur sapientia, sed etiam amatur; qua non solum suadet omne, quod bonum est, sed etiam persuadet. Ergo postulabat à Pelagio confessionem gratiæ flectentis & applicantis irresistibiliter voluntatem ad volendum & agendum. R. neg. conf. Nam Augustinus non postulabat à Pelagio confessionem gratiæ, qua necessariò creditur & speratur magnitudo præmiorum, qua necessariò amatur sapientia, qua omne, quod bonum est, necessariò persuadet: sed ab eo postulabat tantum confessionem gratiæ, qua præmiorum magnitudo creditur & speratur, qua, &c.

Dices. Sola gratia dominans, necessitans, & applicans irresistibiliter ad credendum & sperandum, dici potest gratia, qua creditur & speratur. Ergo, &c. R. neg. ant. Nam gratia intimè & immediatè voluntatem tangens, excitans, inclinans, & roborans ad credendum & sperandum, rectè dicitur gratia, qua creditur & speratur; quamvis ad credendum & sperandum non necessitet, aut determi- net voluntatem: sicut habitus fidei, hoc ipso quòd immediatè adjuvat intellectum ad credendum, rectè dicitur habitus quo creditur, quamvis ad credendum non determi- net intellectum: sicut etiam habitus caritatis, licet non determi- net voluntatem ad amandum, rectè dicitur habitus quo amatur, hoc ipso quòd ad amandum adjuvat voluntatem.

Dices. Ex loco in objectionem indicato, manifestum est S. Augustinum postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam efficacem. R. Augustinum non postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam ex natura sua efficacem cum expedito activæ indifferentiæ exercitio impossibilem, & cui non possit voluntas consentire vel dissentire pro arbitrio, eò quòd sit antecederet & irresistibiliter applicativa potentia ad volendum & agendum. Augustinus postulabat à Pelagio ut confiteretur gratiam efficacem, non verò ut

confiteretur gratiam dominantem & necessitantem. Postulabat à Pelagio ut confiteretur gratiam efficacem, qualem ipse admittebat, adeoque ut confiteretur gratiam efficacem, quæ voluntati relinqueret facultatem consentiendi, vel non consentiendi pro arbitrio, juxta illud lib. de spiritu & littera, c. 34. *Misericordia ejus prævenit nos, potissimum scilicet per vocationem efficacem: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur non solum congruam illustrationem, sed etiam congruam inspirationem, congruè excitantem, inclinantem, delectantem, & roborantem, adeque congruè adjuvantem potentiam, ut re ipsa velit, & agat.

Dices. S. Augustinus postulabat à Pelagio, ut confiteretur gratiam, quæ facit hominem de nolente volentem, quæ à nullo duro corde respuitur, quæ movet & trahit voluntatem ad consensum, eumque insuperabiliter obtinet. R. S. Augustinum postulasse à Pelagio, ut confiteretur gratiam inspirationis, qua sic congruè voluntas excitatur & inclinatur ad volendum, ut, cum antea nollet, jam velit; sic tamen ut posset adhuc nolle in sensu composito excitationis & inclinationis, quæ à nullo duro corde respuitur, non quia non potest respui, sed quia tam aptè voluntatem vocat, ut vocantem non respuat; quæ ita movet & trahit voluntatem ad consensum, ut ei expeditam dissentendi facultatem relinquat. Quòd si aliquando S. Doctor dicit per illam inspirationis gratiam consensum voluntatis obtineri insuperabiliter, illud, insuperabiliter, non ab eo dicitur relatè ad voluntatem, sed relatè ad impedimenta, quibus voluntas, congruè vocata, non potest magis sperari, quam Deus, qui voluntatis consensum prædefinit, vinci potest, & quem vinci repugnat; cum repugnet eum non habere in thesauris sapientiæ & omnipotentia suæ media etiam de se repudiabilia, & quidem non tot, quin plura, quibus in quibuslibet circumstantiis voluntatis consensum liberum expreflurus sit, si ea velit adhibere.

§. VI.

Solvuntur objectiones reliquæ.

Ob. 4. Pelagiani S. Augustinum & alios Catholicos accularunt Manichæismi, quia scilicet putabant eos fatum inducere. At certè hoc non putabant, nisi quia Augustinus & alii Catholici defendebant necessitatem gratiæ dominantis, determinantis, & irresistibiliter applicantis voluntatem ad volendum & agendum: non enim Pelagiani adeò stolidi erant, ut crederent induci fatum per gratiam, quæ frustrabilis esset, & in voluntate relinqueret activam ad volendum, vel non volendum, ad agendum vel non agendum indifferentiam.

R. Revera Pelagiani Augustinum & alios Catholicos accularunt Manichæismi, ut Augustinus ipse expostulat lib. 2. ad Bonifacium c. 1. ubi sic de Pelagianis loquitur: *Faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt; unum quòd Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum quòd etiam ipsi hæresim novi erroris inducunt.* Ad hanc autem calumniam Augustino & aliis Catholicis impingendam, Pelagiani non ea ratione, quam comminiscuntur adversarii, moti sunt; sed duabus aliis planè diversis, quas commemorat & refellit S. Augustinus.

Prima ratio est, quòd S. Augustinus & alii cum eo Catholici, assererent homines propter Adami prævaricationem nasci infectos originali peccato: unde sequi aiebant Pelagiani, quòd humana natura, secundum Augustinum, & alios Catholicos, à Deo creatur mala, & naturali peccato, quod non possit vitari, corrupta. Hoc testatur S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium c. 3. *Quin etiam, inquit, Romanos Clericos arguunt Pelagiani, scribes eos iussionis terrore percussos, non erubuisse prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem sententiam suam ... postea promitterent malam hominum esse naturam.* Hanc autem

tem

tem Pelagianorum calumniam confutat S. Augustinus cap. 4. ejusdem libri, ubi ait: *Malam quippe hominum esse naturam non dicit Catholica fides, in quantum homo à Creatore primitus institutus est, ut dicebant Manichæi; neque nunc, quod illa Deus creat, cum homines ex hominibus facit, hoc est malum ejus, sed quod ex illo vitio primi hominis trahit.*

Secunda ratio est, quod Augustinus & cum eo alii Catholici dicerent, humanam voluntatem tantam ex originali culpa contraxisse infirmitatem, ut nihil omnino bene vellet aut agat sine interiore gratia, ipsam intimè & immediatè afficiente, sanante, corroborante, qua intimè & immediatè prævenitur, excitatur, inclinatur, quomodo ei congruum est, ut bene velit aut agat; quam gratiam sic congruam Deus pro suo mero beneplacito, quibus vult, misericorditer concedit, & quibus vult, iusto, quamvis occulto judicio denegat, quamque proindeque nullatenus promereri possumus: ita ut semper indignis, vel saltem non dignis, & sæpe invitis ac reluctantibus detur. Ex hac autem Augustini & aliorum Catholicorum doctrina malè causabantur Pelagiani consequi, quod omnia regeantur fato: cum & nihil boni, quod ad eternam salutem conducatur, fieri possit sine interiore gratia, liberi arbitrii viribus superadita; nec in nostra potestate sit, promereri gratiam illam voluntati nostræ certo modo attemperatam, sine qua nihil unquam bene volumus, aut agimus.

Audiamus S. Augustinum lib. 2. ad Bonif. c. 5. ubi sic ait de Pelagianis: *Unde autem hoc eis visum fuerit nobis objicere, quod factum asseramus sub nomine gratiæ, cum aliquantò attentius cogitarim, prius eorum verba, quæ consequuntur, inspexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt: Sub nomine, inquit, gratiæ ita factum asserunt, ut dicant quia nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum posset arripere. Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare, vel putari velle, factum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari, sed secundum ipsius misericordissimam voluntatem, qui dixit: Miserebor, cujus misertus ero: Deinde c. 6. contra calumniatores suos sic invehitur: Itane verò filii superbia, inimici gratiæ Dei, o novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit, Dei omnia hominis bona meritis præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, se debita merentibus redditur, factum vobis videtur asserere? Et iterum: Ubi non est meritum... esse dicitis factum: & ob hoc in gratia Dei meritum hominis vultis intelligi, ne factum cogamini confiteri.*

Teste igitur S. Augustino, Pelagiani putabant, aut saltem putari volebant Catholicos in iis, quæ ad salutem pertinent, factum inducere, non quod Catholici dicerent, gratiam ad bene volendum & agendum necessariam, dominari potentiam, eamque necessitare, seu antecederet & irresistibiliter flectere; sed quia assererent, in præfenti statu voluntatem humanam nihil posse bene vel agere sine gratia eam immediatè tangente, excitante, inclinante, sanante & roborante, prorsusque nihil bene velle & agere, in ordine scilicet ad salutem, quod semper suppleri deberet, sine tali gratia eam præveniente, & tangente quomodo ei congruit, ut bene velit & agat; & addebant gratiam hanc non secundum merita nostra dari, sed secundum misericordissimam Dei voluntatem, qui, cujus vult, miseretur, vocando scilicet illum, quomodo illi aptum est, ut vocantem sequatur.

Obj. 5. Pelagiani respuebant gratiam, cujus confessionem ab illis exprimere volebat Augustinus, quia putabant cum ejus necessitate stare non posse libertatem arbitrii, quam constituebant in indifferentia activa, seu in facultate volendi vel non volendi, agendi vel non agendi pro arbitrio. Atqui Pelagiani nequidem somnariæ potuerunt, libertatem arbitrii, etiam qualem admittebant, stare non posse cum necessitate gratiæ repudiabilis, cui proinde possit voluntas, prout

libet, consentire, vel dissentire. Ergo respuebant gratiam, cujus confessionem ab illis exigebat Augustinus, quia Augustinus exigebat ab illis confessionem gratiæ ex natura sua irrepudiabilis & irresistibilis; adeoque Augustinum inter & Pelagianos contentio erat de gratia ex natura sua irrepudiabili & irresistibili.

R. Revera Pelagianos nequidem somnariæ potuisse, libertatem arbitrii, qualem admittebant, stare non posse cum necessitate gratiæ ex natura sua repudiabilis, quæ semper adesset, aut semper esset in nostra potestate, ut adesset: at credere potuisse, & credidisse, libertatem arbitrii, qualem admittebant, stare non posse cum necessitate gratiæ repudiabilis, quæ nec semper adesset, nec esset, cum abest, in nostra potestate, ut adesset. Per libertatem arbitrii intelligebant Pelagiani completam & integram facultatem agendi vel non agendi pro arbitrio; adeoque per libertatem arbitrii in rebus ad salutem pertinentibus, intelligebant completam & integram facultatem bonum salutare volendi & agendi pro arbitrio, qualem facultatem habere nos negabant, si ad singulos actus salutares indigeremus gratia, quæ nobis non adest semper, & à solo beneplacito divino dependet, ut nobis adsit. Nam, inquietabant, si non possumus bene velle & agere, potentia scilicet ad actum reducenda, sive quod idem est, si nunquam bene volumus & agimus, sine gratia, quam non semper habemus, & quam habere, non est in nostra potestate, quia pendet à sola voluntate Dei, qui eam dat quibus vult, & quibus vult denegat; bonum salutare velle & agere non est in nostra potestate, nec habemus liberum arbitrium in rebus ad salutem pertinentibus; quia nec habemus, nec est in nostra potestate, ut habeamus completam & integram facultatem volendi & agendi pro arbitrio bonum salutare.

Hanc fuisse Pelagianorum mentem, ostenditur ex S. Hieronymo, qui in epistola ad Ctesiphontem, sic loquentem inducit Pelagianum: *Frustrà dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero; ac per hoc aut uxor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum serveretur arbitrium, aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur. Et in tertio dialogorum libro sic adhuc Pelagianum loquentem inducit: Quomodo servas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adjuverit?*

Pelagiani igitur per liberum arbitrium intelligebant completam & integram facultatem volendi & agendi ubi, quando, & quoties nobis ex propria determinatione libuerit; quacum facultate malè certè conveniret necessitas adjutorii, quod nec semper adesset, nec esset in nostra potestate, ut adesset, eo quod nullo bono merito, vel quasi merito naturali possemus illud promereri. Hanc ob causam Pelagiani, cum hominem in præfenti statu completam & integram ad bonum ubi, quando, & quoties libuerit volendum & agendum habere facultatem contenderent, pertinaciter repudiabant necessitatem gratuiti adjutorii, sine quo nihil omnino bene volumus & agimus.

Addi potest Pelagianos existimasse, de ratione liberi arbitrii & ejus essentia esse, non solum ut sit potentia activè indifferens, & sui ipsius determinativa, sed etiam ut sit indifferens ab omni auxilio, ipsum immediatè adjuvante ad sui determinationem, adeoque Pelagianos rationem & essentiam liberi arbitrii constituisse in eo, quod sit potentia activè indifferens, & sui ipsius determinativa independentem ab omni auxilio, eam ad sui determinationem immediatè adjuvante. Hoc dicere videtur Pelagianus apud S. Hieronymum in epistola laudata, cum ait: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget. Liberum non erit arbitrium, nisi fecero quod voluero, ex propriis scilicet viribus, & absque alterius adjutorio: Si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur. Hoc etiam videtur dicere Pelagius apud S. Augustinum*

num

num lib. de gestis Pelagii, cap. ult. ubi hæc ejus propositio refertur: *Quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei.* Cum enim simpliciter ait, *Si indigeat auxilio Dei*, non verò, *Si indigeat auxilio Dei* dominante, determinante, irresistibiliter flectente & applicante, manifestè videtur significare, rationi & essentia liberi arbitrii repugnare, quòd ad volendum & agendum immediato Dei adjutorio indigeat, qualecumque tandem sit, & quantumcumque etiam ex se repudiabile & frustrabile esse supponatur.

Ratio autem ita sentiendi Pelagianis hæc sanè fuit, quòd crederent de ratione & essentia liberi arbitrii esse, quòd plenum habeat dominium in actus suos, plenamque potestatem de illis disponendi: unde Pelagianus apud Hieronymum dicit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget*: cum enim sic loquitur, nomine voluntatis intelligit actum, planè suum potentia illum elicientis; quia potentia illum eliciens, illi planè dominatur, de illoque planè potest disponere, illum pro arbitrio producendo, vel non producendo, aut productum destruendo. Quia autem cum pleno illo dominio potentia in actus suos, plenamque potestatem de illis disponendi, Pelagiani credebant conciliari non posse indigentiam adjutorii divini, præsertim gratiæ & indebiti, quod proinde Deus pro arbitrio suo dare potest, vel denegare, aut datum subtrahere, talis adjutorii, præsertim cum ab illius assertoribus gratuitum & indebitum esse prædicaretur, necessitatem, ut liberi arbitrii everfivam, rejiciebant; quoniam, ea semel admissa, non nos actuum nostrorum domini essemus, sed ipse solus Deus dominus esset; nec de actibus nostris disponderemus, sed ipse solus Deus disponderet; nec denique actus nostri nobis, sed soli Deo attribuerentur; quandoquidem adjuvante Deo, illos poneremus; non adjuvante, non poneremus. Hoc dicit Pelagianus apud Hieronymum in epist. laudata: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera, ejus est omne, quod gesserò; ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilio.*

Pelagianis respondebat S. Augustinus, 1. Liberum hominis arbitrium per Adam prævaricationem sauci- tum fuisse, & ita sauciatum, ut jam non possit cum sola illustrationis gratia bonum velle & agere, sicut oportet ad salutem. 2. Et ita jam liberum hominis arbitrium bonum sicut oportet ad salutem velle & agere non posse, sine novo interioris gratiæ auxilio immediatè se tenente ex parte ipsius facultatis volendi. 3. Sicque nunc neminem unquam bene velle & agere sicut oportet ad salutem sine interioris gratiæ adjutorio, quo facultas volendi ad bene volendum & agendum immediatè adjuvetur, vel, ut loquitur S. Doctor, quo adjuvetur voluntas seu volitio, & actio. 4. Catholicos per necessitatem hujus adjutorii, quo adjuvat Deus volitionem & actionem in eo omni, qui re ipsa bene vult & agit sicut oportet ad salutem, nullatenus officere libero arbitrio, sed potius illud statuere, cum per tale adjutorium non tollatur, sed potius restituatur liberum arbitrium; quia per illud indifferentia activa non perimitur, sed completur & perficitur: nam bene volendi & agendi potestatem dat, non necessitatem imponit: non enim voluntatem antecedenter & irresistibiliter alligat ad unum, sed sanat & corroborat: sanat autem & corroborat voluntatem, illam delectando de bono, cuius est amor indeliberatus: denique illam sic delectat, ut re ipsa ex propria determinatione, & absque antecedenti ad unum alligatione, bonum velit & faciat, sicut ad salutem oportet.

Audiamus S. Augustinum lib. de spir. & litt. cap. 30. ubi sic loquitur: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio anime à vitio*

peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitia dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides imperat gratiam, qua lex impletur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligitur.

ARTICULUS IV.

Exponuntur Errores Semipelagianorum.

§. I.

Admiserunt quædam initia justitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex nobis, hoc est, quæ in nobis essent ex solis arbitrii nostri viribus, & nulla interiori gratia præventis, nempe fidem inchoatam, orationem, desiderium sanitatis & salutis, cum quibuldam conatibus assurgendi è cæno peccati, & actus virtutum exercendo. Per hæc justitiæ & salutis initia, ut asserabant, ex solius naturæ vigore credimus nos salvari, & sanari posse per Christum; credentes desideramus sanitatem & salutem illam per Christum adipiscendam; desiderantes ad illam admittimur; frustra per solas naturæ vires adnitescentes, medicum animarum & salutis authorem Christum imploramus; credentes autem, desiderantes, adnitescentes, implorantes, primam gratiam utcumque promeremur, & infallibiliter obtenemus. Ex qua doctrina sequebatur, primam gratiam non dari gratis, sed utcumque debitam reddi bonis quibuldam actibus, ex solis viribus liberi arbitrii elicitis. Quare hi, quorum hæc doctrinam exponimus, Semipelagiani dicti sunt, utpotè ex parte consentientes Pelagianis; nam ab illis dissentiebant, & sese discernebant in eo, quòd fatebantur animæ curationem à peccato, à concupiscentia, & ab ignorantia expectandam esse à gratia, item bonorum operum seu virtutum non solum profectum, sed etiam initium, atque mandatorum divinatorum observantiam, quibus promeremur vitam æternam, à libero arbitrio, utpotè per originale peccatum sauciato & infirmato, esse non posse sine adjutorio interioris gratiæ voluntatem immediatè prævenientis, excitantis, & roborantis.

Probantur autem hæc omnia ex Fausto Semipelagiano, qui lib. 1. de lib. arb. c. 17. sic ait: *Ita se duo ista conjungunt, attrahentis virtus & obedientis affectus quomodo si eger aliquis assurgere conatur, & facultas animum non sequatur, & propterea sibi porrigi dextram deprecetur. Exclamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem (ex solis arbitrii viribus,) attrahit desiderantem (ex solis arbitrii viribus, erigit adnitentem) (ex solis arbitrii viribus.)*

Ex Epistola Hilarii ad Augustinum, ubi hæc de Massiliensibus referuntur: *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum predicationi, ut cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinenda salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis sue consequantur effectum.* Et infra: *Quod dicitur: Crede & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri: ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendum ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris (non gratia redemptoris) concessum est; & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua agitudine puniatur: nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, qua tantum medicum querat, non autem quicquam ipsa jam valeat (ad sanitatem scilicet & salutem per se consequendam).... Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque agrotum velle sanari.*

Ex